



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXLV. Argumentum. Examinat hæc Decisio. 1. Quid sit Abortus? Quàm grave peccatum? Quæ poenæ sint statutæ contra procurantes Abortum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

debent Parochi industria, illa Sanctorum autoritatibus, & exemplis, de quibus apud Gobat num. 691. confirmando, ut fideles abstinant, & abhorreant à mendaciis.

Et ne studiosum Lectorem lateat Propositio damnata de Verbis Amphibologicis, quæ non admittunt utrumque sensum, ut dictum est supra num. 8. Sciatur eam esse sequentem inter damnatas ab Innocentio XI. Propos. 27. videlicet: *Causa justitendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Igitur per damnationem hujus Propositionis censentur condemnata, & proscriptæ omnes illæ amphibologiæ, quæ vel continent veritatem ex sola aliqua restrictione in mente, vel quarum verba ex communi usu loquentium non continent sensum, quem intendit illa proferens; secus autem, quando æque ipsa habent sensus duos, unus quorum intelligitur à proferente dictum amphibolicum; ut testatur novissime etiam Cardenas in Crisi Dissertat. 19. ad d. Propos. 27. cap. 4. num. 35. ubi ita scribit: *Hunc modum amphibologia non damnari ab Innocentio XI. certum est, quia ille solum damnat amphibologias, quæ sunt per restrictionem mentalem, addendo verbis aliquod retentum in mente.* In hoc autem modo nihil additur retentum in mente; quia illa diversa significationes sunt propria verbi aquivoci. Legantur de hac distinctione etiam mea Erotemata cap. 38. quæst. 2. in 2. Impress. pag. 101.

DECISIO CXLV.

ARGUMENTUM.

Examinat hæc Decisio. Quid sit Abortus? Quam grave peccatum? Quæ poenæ sint statuta contra procurantes Abortum?

SUMMARIUM.

1. Abortus quid sit?
2. Fœtus humanus, quando censeatur animatus?
3. Angelus custos hominis quo tempore ei assignetur?
4. Abortus sit vel directè, vel indirectè.
5. Abortus ex medicamentis ad salvandam Matris vitam an licitus?
6. Abortus delictum est gravissimum.
7. S. Vincentii Ferrerii Sororis abortus.
8. Abortum causans committit homicidium proditorium.
9. Parricidii delictum continetur in abortu.
10. Assassinium facit, qui abortum procurat.
11. Hazaelis crudelitas in necandis pregnantibus.
12. Redemptor iterum passionem subiret, si opus esset, pro una Anima.
13. Abortum procurantium poena.
14. Excommunicatio in committentibus abortum cui reservata?
15. Procurantium abortus casus reservatus Patavii.
16. Clerici abortum facientes, quibus poenis subiciantur?
17. Immunitate loci Sacri non gaudent committentes abortum.
18. Infamia incurritur ex abortu.
19. Irregulares sunt eidem cooperantes.
20. Mortis poena, an infligenda committentibus abortum?
21. Clericus ob abortum commissum degradatur, & ultimo supplicio per Curiam seculari puniatur.

Post. Clerici. Tom. II. Lib. IX.

22. Abortum à delicto nullus Confessarius absolvit.

Dictum fuit: *Abortum esse ejectionem fœtus immaturi.* Summa Diana Verb. Abortus num. 1. Fœtum autem considerari vel animatum, vel inanimatum. Tunc censetur animatus, si sit masculus, & transiverint quadraginta dies post conceptionem: animatus verò, si sit fœmella, & effluxerint dies octoginta. Aristot. lib. 5. Anim. cap. 3. & 9. Bonacina. de restit. in particulari. disp. 2. quæst. ultim. sect. 1. pñct. 7. num. 4. tom. 2. Farinac. quæst. 122. num. 141. Cæsar de Panimollis decis. 68. num. 17. Quamvis non desint contrarium opinantes, videlicet tum masculos, tum fœminas animari in utero matris ante terminos prædictos, & statim ac corpusculum est formatum, quod in genitricibus temperamenti calidissimi citissime fieri solet, ex Hippocrate lib. de natur. fœtus. Lessius lib. 2. de Just. & Jur. cap. 9. dub. 10. num. 65. Farinac. d. quæst. 122. num. 139. & 143. Diana part. 7. tract. 5. resol. 6. Quæ in Coordinato posita est tom. 5. tract. 6. resol. 19. Panimoll. d. decis. 68. n. 18. & 19. & Narbona de Etate quæst. 2. num. 40. & quæst. 5. ubi num. 23. firmat, Angelum custodem assignari tempore animationis fœtus. Videntur Zacchias in QQ. Medicoleg. tom. 2. lib. 9. tit. 1. ubi Medicorum, ac Philosophorum discrepantes opiniones recenset de tempore, quo fœtus humanus sit animatus.

Dixerunt etiam dupliciter procurari abortum 1. Directè, quando adhibentur potiones ad fœtum ejiciendum, vel percussiones super uterum, aut motus violenti ad hunc finem. Indirectè, si vir uxorem pregnantem verberet, aut ipsa insolitis laboribus, vel ponderibus, aut saltationibus seipsam lædat, aut utrique conjuges, ut suæ libidini satisfaciant, dum uxor est gravida, ita se agitent coeundo, ut abortus, non tamen ab eis intentus, sequatur. Diana part. 7. tract. 5. resol. 30. Quæ legitur in Coordinato tom. 5. tract. 6. resol. 34. DD. quos allegat Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 22. num. 1. Narbona de Etate quæst. 1. num. 19. Quod si darentur medicamenta matri ærotanti, ac prægnanti ad ejus sanitatem procurandam, si per accidens sequeretur abortus, non erit delictum, DD. quos citat, & sequitur Diana part. 3. tract. 5. resol. 11. Quæ in Coordinato jacet tom. 5. tract. 6. resol. 43. & part. 7. tract. 5. resol. 35. In Coordinato tom. 5. tract. 6. resol. 39. Adeo ut, si fœtus nondum sit animatus, & ejus ejectio sit unicuique remedium ad vitam matris, liceat sumere medicamentum ad illum ejiciendum juxta probabilem sententiam Trullenchi tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 1. Summæ Dianæ Verb. Abortus num. 14. Et Mastrii in Theolog. Moral. disp. 8. num. 30. & 31. à quibus tamen discordant Lessius, Bonacina, & alii relati ab ipso Diana d. resol. 35. Quæ in Coordinato est 9. supra notata. Porro de hac quæstione in praxi legendus erit Zacchias QQ. Medicoleg. tom. 1. l. 6. tit. 1. quæst. 7. ubi num. 14. refert pro utraque opinione tum Medicos, tum Theologos, ac Canonistas, & tandem num. 16. ita concludit: *Vera sententia hærens Constitutioni Sixti V. est, nunquam licere directè procurare abortum, etiam si proponatur Matris salus, qua periclitatur, nisi provocetur abortus.* Indirectè tamen non est prohibitum pro Matris salute dare causam aborti.

D d

tiendi.

miendi, dummodo totis nervis innitatur, ne fiat, ita ut si fiat, sit prater nostram intentionem. Directe autem provocare abortum est, proposita sibi hac intentione, medicamenta ad eum assequendum præbere. Indirecte est corrigere medicamenta ad aliquem morbum sanandum ab ipso morbo requisita, etiamsi ex eorum usu timeatur abortus, ut sunt medicamenta ventrem solvemia, chysteres, sanguinis derivatio, & alia huiusmodi præstidia; in quorum tamen usu semper etiam cavendum, ut quantum fieri potest tam fortis, quam Matris vita salvetur. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 20. num. 14.

Quam grave autem sit peccatum Abortus. Deprehenditur 1. Ratione 2. Autoritate Scripturæ Sacræ; & 3. Gravitate poenarum.

Ratione: Quia peccatum Abortus continet in se Latrocinium, Plagium, Homicidium, etiam Proditorium, Parricidium, & Assassinium. Continet Latrocinium, quia SANCTISSIMA TRINITAS privatur gloria, quam ei dedisset illa anima in cælo, ad quem finem erat creata. CHRISTUS DOMINUS patitur ablationem sui pretiosi Sanguinis, quem effudit pro salute animarum; Venit enim, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joan. 10. at filius abortivus, ex defectu baptismi vitam æternam habere non potest, cum Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei Joan. 3. Et ille foetus infelix spoliatus est hereditate, & thesauris Paradisi; & idcirco si non potest absolvi latro, qui furatur pecuniam alienam, vel rem aliquam temporalem, nisi illam vero domino restituat; quomodo sunt absolvendi, qui procurant abortum, & cooperantur ad ipsum, potionibus, consiliis, auxiliis, aut suasionibus, surripientes conceptui abortivo divitias beatitudinis æternæ? Continet Plagium, quod est delictum, quo parentes spoliantur propriis filiis, qui in ipsorum sunt potestate, ut in servitutem inique redigantur: & dicitur Plagium à plaga, & dolore, quo eo delicto afficiuntur parentes talium filiorum, qui perverse eodem delicto in servitutem reducuntur lib. 1. & 2. ff. ad Leg. Fabiam de Plagiis leg. 2. Cod. eod. tit. Molina de Just. & Jure disp. 684. num. 7. Porro hi foetus spectant ad Sanctam Matrem Ecclesiam, cujus membrum est eorum Mater, nam partus sequitur conditionem Matris s. penult. Inst. tit. de Jure Pers. Quare Ecclesia est inconsolabilis ob tale flagitium, & est illa Rachel plorans filios suos, quæ nolit consolari, quia non sunt. Matth. 2. 18. & semper severe punivit hos latrones. Hinc Concilium Anciranum decrevit, reos huius facinoris non esse communicandos nisi in articulo mortis; ita ut exclusi forent ab Ecclesia tota eorum vita durante: & Concilium Moguntinum volens mitius agere, si prædicti Rei decem annos consumpserint in lacrymis, poenitentia, & humiliationibus; concessit, decennio expleto, eos Sacræ Communionis participes fieri, ut habetur tom. 2. Concil. & apud Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa in Epirome Canon. Verb. Abortus. Paul. Segneri in Christian. Instruct. part. 3. serm. 5. ubi n. 15. refert exemplum Sororis sancti Vincentii Ferrerii, quæ vix potuit salvari, quamvis summe contrita, ob delictum abortus per eam commissum, quod narrat etiam P. Roa de Purgat. cap. 6. Hoc delictum continet in se Homicidium, quia privatur homo tum vita spiritua-

li, ut diximus, per privationem baptismi, tum temporali, ad quam per generationem jus acquiliverat. d. quasi. 122. num. 91. & 132. Theſaur. in Pedemont. decis. 69. num. 1. Et non solum simplex homicidium, sed Homicidium Proditorium, quod fit, quando aliquis nulla præcedente inimicitia alium interficit, ut si socius in itinere, nulla interveniente rixa, socium percutiat, vel sodalem in mensa; vel amicus, qui se fingit, amicum à tergo aggrediatur, & interficiat. Bart. in l. Respicendum. S. Delinquent num. 1. ff. de Penis. Jul. Clar. f. Homicidium num. 10. At quæ major societas, vel sodalitas, vel amicitia, quam illa, quæ vertitur inter Matrem, & filium intra ejus viscera commorantem? Et proditorem homicidam esse illum, qui dat alteri potionem venenatam, tenet. Felin. in cap. 1. de Homicid. & Bajard. alios DD. citans in addit. ad Clarum dict. f. Homicidium num. 22. & 24. Ulterius Abortus crimen continet in se Parricidium, quod est delictum comprehendens interfectionem, qua inferiores necant suos majores, & è contra ascendentes interficiunt descendentes, ut doctè advertit Molina de Just. & Jure disp. 26. num. 2. & 3. & disp. 27. num. 2. ubi in puncto probat in hoc facinore inesse qualitatem Parricidii. Tandem appellari potest etiam Assassinium, quod quidem committitur, si quis ob mercedem ad occidendum disponatur. Jul. Clarus lib. 5. Senr. f. Assassinium num. 1. & ibi adden. Theſaur. de Penis Eccl. part. 2. Verb. Assassinium. Vel si per insidias, & industriam, idest ex proposito, hominem interficiat. Lancelot. Instit. Crim. lib. 4. tit. 10. f. 1. & ibi Aloyſ. Riccius in Verb. Industriam. & f. Is quoque. eod. tit. At ad necandam prolem in utero existentem sæpe sæpius moventur impie Matres ex proposito, non tantum ut mercedem luxuriæ exercendæ impunè assequantur, sed etiam non raro accepta pecunia, vel ab amafis, vel ab aliquo sperante hereditatem, si foetus necetur, & proles ex Matrimonio non habeatur. Bossius in tit. de Homicid. num. 6. Jodoc. in Pract. Crimin. cap. 38. rubric. de Assassinio num. 10. Farinac. quasi. 12. num. 154. Theſaur. in Pedemont. Decis. 12. num. 13. & Cæſar de Panimoll. Decis. 69. num. 1.

Secundò: Autoritate Scripturæ Sacræ cognoscitur atrocitas hujus facinoris, nam in exprimendis crudelitatibus Hæzælis, illa fuit cæteris turpior, quod & Prægnantes dividerit. 4. Reg. 8. 12. idest neque percerit foetibus in utero Matrum absconditis. De sceleribus autem Ammonitarum loquens, quantum delictum dixit intermissibile, illud scilicet, quod exercuerant in Matres prægnantes, ut legitur Amos 1. 3. Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quantum non convertam eum, eo quod disseuerit prægnantes Galaad. His addi potest id, quod Redemptor locutus fuit ad S. Birgittam lib. 1. Revelat. cap. 58. Videlicet, se libenter pro una anima iterum passurum, quod pro toto mundo passus est; unde desumitur, quanta severitate Iudex ipse æternus agat cum illis, qui hujus Abortus delicti quomodolibet rei extiterint, cum perditionem causaverint animarum, pro quibus piissimus SALVATOR paratus est, si oporteret, iterum doctores, & cruciatus, ac mortem suam pœnissimam subire.

Ter-

Tertio: A gravitate poenarum temporalium noscitur gravitas huius facinoris: nam.

- 13 Primo: Procurantes Abortum de iure Canonico sunt excommunicati. *cap. Si aliquis, De homicid. Ghirlan. de Sorileg. quast. 12. num. 21. Et Clericus privatur beneficiis. cap. Si quis Episcopus. 26. quast. 5. Jac. de Graffis lib. 2. decis. 63. & Casar de Panimollis decis. 68. num. 23. & 24.*

Secundo: Ex Bulla Sixti Papae V. La 87. incipit: *Effrenatam*. Praedicta excommunicatio erat reservata Summo Pontifici, effectu Abortus subsecuto foetus animati; sed ex alia Bulla Gregorii Papae XIV. La 8. incipit: *Sedes Apostolica*: Absolutio praedictae censurae est reservata Ordinariis locorum: qui possunt confessorio specialiter delegare facultatem absolventi ab illa. Quaranta *Verb. Abortus s. Nota per hanc. Farinac. d. quast. 122. num. 164. Barbosa de Offic. & Pot. Episc. alleg. 51. num. 136.* Quod si foetus non sit animatus, procurantes abortum subijciuntur tantum poenis Juris communis per dict. Constitutionem Gregorii XIV. & ideo puniuntur poena extraordinaria. Casar de Panimoll. *decis. 68. num. 2.* ubi DD. cumulat: sed non sunt excommunicati, neque sunt irregulares. Glossa in dict. c. *Si aliquis 5. in Verb. Ut homicida. De Homicid. Volunt. Bonacina rom. 1. de Excom. in partic. extra Bullam Canadisp. 2. quast. 2. punct. 110. num. 2.* Et Sayrus in *Thesaur. Casuum Conscien. lib. 3. cap. 35. num. 26.*

15 Quamvis mortaliter peccent, & hic Patavii sit Casus reservatus. Quod si foetus fuerit animatus, sed non sequatur effectus procurati Abortus, peccatum est mortale: sed in tali casu, non intrat excommunicatio. Navar. *conf. 60. de Sent. Excommun. Novarius in Summ. Bullar. part. 2. Comment. 2. num. 22.* Est tamen in hac Dioecesi Casus reservatus: Videantur mea Erotemata *cap. 59. in 2. editione.*

- 16 Tertio: Clerici cooperantes in Abortu privantur omni privilegio Clericali, tum fori, tum canonis, dignitatibus, officiis, & beneficiis. Farinac. *d. quast. 122. num. 151.* Sed haec poena non obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis. Antonell. *de Regim. Milit. Eccl. lib. 6. tit. 32. num. 3.* Thesaur. *de Penit. Eccl. & DD. citati in p. 1. cap. 27.* quamvis contrarium teneat Garzias de Benef. *p. 11. cap. 10. num. 197.*

17 Quarto: Ob hoc Abortus delictum perditur Immunitas loci Sacri, seu Sacri Asyli, concessa reis ex Bulla Gregorii XIV. La 7. Incip. *Cum alias nonnulli*, ea ratione, quia Abortus est homicidium proditorium, ut diximus supra; & tenent Farinac. *de Immunit. Eccl. cap. 8. num. 138.* & Peregrin. *ead. tract. cap. 3. num. 8.* Quamvis alii contrarium doceant, quos citat Diana *part. 3. tract. 1. ref. 72.* In Coordinato *tom. 9. tract. 1. resol. 93.* Prima tamen opinio est verior, ut respondit S. Congreg. 3. Decembr. 1632. teste Novatio *p. 2. Comment. 80. num. 59.* Nicolio *Lucubrat. Civil. lib. 1. tit. 8. num. 31. Ampl. secund.* ita tamen ut praecedat declaratoria Judicis super commissio delicto. Thesaur. *de Penit. Eccl. d. Verb. Abortus c. 1. num. 3.*

- 18 Quinto: Ex hoc delicto resultat Juris infamia, non solum post sententiam declaratoriam, sed etiam ante, si crimen sit notorium Thesaur. ubi supra *d. cap. 1. num. 4. & p. 1. cap. 33. s. Secundo modo.*

19 Sexto: Praedicti omnes cooperantes, consulentes, vel opem dantes sunt irregulares ob

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

necem foetus animati. Farin. *quast. 122. num. 119. & 120.* Thesaurus ubi ante *p. 2. Verb. Abortus, num. 5.* Quod si dubitetur, an puerperium fuerit, vel non fuerit animatum, adhuc reus huius delicti debet se irregularem reputare, & abstinere ab ordinum susceptione, & administratione. Antonell. *de Reg. Mil. Eccl. d. l. 6. tit. 32. num. 4. versus finem. Farin. quast. 122. num. 138. & Casar de Panimoll. d. decis. 68. num. 16.* Si autem quis sit condemnatus in causa Abortus etiam foetus inanimati, adhuc erit irregularis ob infamiam juris. Abb. in *d. cap. Si aliquis 5. num. 3. de Homicid. & Thesaur. d. Verb. Abortus limit. 2.* Et ab hac irregularitate solus Papa dispensat, quamvis crimen esset occultum. Summa Diana *Verb. Abortus num. 34.*

Septimo: Supradictis delinquentibus infligitur poena homicidii, si commiserint Abortum foetus animati, quae est poena mortis: quod si foetus non erat animatus mitiori poena puniuntur. Thesaur. in *Pedemont. decis. 12. num. 1. & 4. Glossa in c. Moyses 32. qu. 2. & in c. Sicut de Homicid. Jul. Clarus in s. fin. qu. 68. Vers. Abortum, procurans.* Et Antonell. *d. l. 6. c. 32. num. 2.* Quamvis non desint DD. qui excusant a poena mortis naturalis etiam in Abortu foetus animati, quia foetus, licet animatus, est tantum in spe; & minus est esse in spe, quam in esse productus, & homo, qui non est in lucem editus, redditur ignotus, & naturaliter potest in lucem edi, & non edi; unde foetus in ventre Matris permanet in statu incertae vitae, quae conferunt ad minuendam, & temperandam poenam ordinariam homicidii. Menochius *de Arbitr. cas. 357. num. 6. & seqq. Farinacius d. qu. 122. num. 135.* Thesaurus in *Pedemont. decis. 12. a num. 4. & seqq.* qui tamen *num. 5. & num. 7.* declarat hanc opinionem non procedere, si puerperium fuerit egestum potionibus ex dolo, & malitia post octavum mensem, nam tunc poena mortis mulctari debent cooperantes ad huiusmodi Abortum; idemque novissime docet Casar de Panimoll. *d. decis. 68. num. 5.* ubi *num. 7.* subdit, quod Bulla Sixtina non habeat locum quoad hanc poenam mortis naturalis, nisi servata forma Juris communis; attenta moderatione facta per Gregorium XIV.

Octavo: Si Reus huius criminis in foetu animato sit Clericus, est degradandus, & Curiae seculari tradendus, ut ultimo supplicio afficiatur. Antonell. *de Regim. Mil. Eccl. d. lib. 6. cap. 3. sub num. 12.* Sylvest. in *Verb. Degradatio. num. 4.* Belletus *tit. de Favore Clericor. Person. s. 10. num. 6.* Jul. Clarus in *s. fin. quast. 36. num. 40.* & alii apud Riccium in *Praxi part. 4. resol. 122.* Porro alii volunt, esse mitius agendum, Clericumque praedicti Abortus criminis reum, non degradandum, sed detrudendum in perpetuum carcerem. Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg. 110. num. 13.* & alii, quos refert, & sequitur Diana *part. 2. tract. 1. ref. 16.* Quae habetur in *Coordinato tom. 9. tract. 2. ref. 55.*

Ultimo, in foro Poli nullus Confessarius, neque Regularis, in hac Patavina Dioecesi, potest absolvere reos huius piaculi Abortus, quamvis foetus non fuerit animatus, & quamvis non fuerit sequutus effectus, quia uterque Casus est reservatus Eminentiss. ac Reverendiss. D. Cardinali Episcopo, ut in *Pagella reserv. cas. 3.* Est autem certum, quod Regulares absolvere non

D d 2

pos.

sunt neque a casibus per Episcopum reservatis, neque a contentis in Bulla Cœnæ Domini ex Decr. S. Congreg. diei 17. Novemb. 1628. quod ponit Novarius in *Summ. Bullar. p. 1. comm. 135. Panimoll. decis. 113. num. 1.* & a me probatum fuit in Decisionibus de Penitentia. Decis. 46. numer. 16.

Et ex his omnibus Parochi, & animarum Curati argumenta sufficientia habebunt pro deterrendis humanis mentibus a tanto excessu Abortus committendi, consulendi, aut approbandi. Legitur, quod Cervæ feliciter pariant, ubi concrepant tonitrua, juxta illud; *Vox Domini præparantis cervos*; vel ut alii vertunt *parere facientis cervos*. Psalm. 28. 1. Si Rectores Ecclesiarum tanquam tonitrua fecerint Vocem suam, prædicando contra hoc crimen, Puerperæ felices partes dabunt.

D E C I S I O CXLVI.

A R G U M E N T U M

Explicatur in hac Decisione. 1. Quid sit Adulterium? 2. Quotuplex? 3. Quam grave peccatum? 4. Qui ejus pessimi effectus? 5. Quæ ejus poenæ? 6. Quæ ejus remedia?

S U M M A R I U M.

1. Adulterium quid sit, & unde sic dicatur?
2. Quotuplex?
3. Adulterii gravitas, & enormitas.
4. Matrimonii Autor Deus.
5. Conjunctiones tres Mystica ex Matrimonio.
6. Animata ab adulterio abstinentia.
7. Adulteri penitentes olim per annos 15. extra Ecclesiam.
8. Adulterii criminis effectus.
9. Restitutioni obnoxius est Adulter ob hereditatem filiorum.
10. Adulterorum salus quasi desperanda.
11. David cur dicatur punitus ob adulterium, non ob homicidium Uriæ?
12. Adulterium sapit etiam crimen sacrilegii.
13. Lesaque Majestatis.
14. Poena contra adulteros de Jure Divino, Canonico, & Civili.
15. Adulteri de Jure Divino lapidandi.
16. Poena Juris Canonici contra Adulteros.
17. Nasus abscondebatur Adulteris, & Virilia.
18. Adulteri puniti penis atrocissimis.
19. Maritus an possit occidere amicum, & uxorem adulteram?
20. Mariti fidem non frangant uxoribus.
21. Uxores retrahenda a ludis, & aliis publicis sessionibus.
22. Matricorum mala tractamenta causant Uxoribus adulteria.
23. Adulterorum familia exterminata.
24. Visio horrenda adulterorum punitorum in inferno.
25. Adultera brachium combustum aqua frigida.

Quoad Primum dixere, Adulterium, (quod Græcè dicitur *πορνεία*, as *η*; Hebraicè autem *זנות*) esse alieni thori violationem, vocarique adulterium, quasi ad alienum Thorum accessum.

cessionem. *can. Lex illa, §. Quam ergo 39. quasi. 1. & can. Non mœchaberis. 32. quasi. 5.* Alii pariter scripsere, Adulterium esse illicitum concubum conjugati, vel conjugata. S. Thom. 2. 2. quasi. 154. art. 8. Tholosan. *Synagm. Jur. Univ. lib. 36. cap. 6. num. 2.*

Quoad secundum. Duplex est Adulterium, Spirituale, & Carnale. Adulterium Spirituale est quodlibet mortale peccatum Christiani hominis; quoniam qualibet anima Christiana est desponsata Christo, juxta illud *Et sponsabo te mihi in fide; & scies, quia ego Dominus, Osea 2. 20.* Adulterium Carnale est illud supra definitum, & subdividitur in simplex, & duplex. Primum est, quando unus adulter tantum est conjugatus. Alterum, quando uterque habet conjugem; & gravius censetur, quando ipsa adultera est conjugata. Sum. Diana Verb. Adulter. num. 1. Mastrius in Theol. Moral. disp. 11. num. 125. & passim omnes.

Quoad Tertium. Gravitas hujus facinoris, & enormitas adulterii ex eo comprehenditur; quia, qui mœchatur, offendit legem Divinam, Naturalem, Canoniam, & Civilem. Offendit legem Divinam, quia Matrimonium non solum est contractus humanus, sed Sacramentum Ecclesiæ a Christo Domino institutum. Sanchez de Matrim. lib. 2. disput. 10. Unde Apostolus loquens de Matrimonio ait: *Sacramentum magnum est ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Ephes. 5. 32.* Aliquid autem dicitur magnum, vel respectu Autoris, ut si Princeps rem aliquam componat sua propria manu, vel respectu materię, si sit pretiosa, vel respectu finis, si sit magnæ levitantię. Autor Matrimonii ab initio fuit Deus, Quod Deus conjunxit, homo non separet. Marc. 16. 9. Deinde Christus Dominus; Ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Ephes. 5. 32. Materia sunt ipsi conjuges, qui etiam post receptum Matrimonii Sacramentum, cum non materia mortua, (ut aqua, completo Baptismo) sed vivant, sunt symbolum Sacramenti, & quid sacrum ob ipsum Sacramentum, quod in eis perseverat usque ad mortem ipsam. Cardin. Bellarmin. lib. 1. de Matrim. cap. 6. Finis, quia Matrimonium repræsentat Unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, Christi cum Ecclesia & animæ fidelis cum Christo; unde leguntur in Missa pro Sponso, & Sponsa hæc Verba: Deus, qui tam excellenti Mystero conjugalem copulam consecrasti, ut Christi, & Ecclesiæ Sacramentum præsignares, &c. Igitur qui committit Adulterium, grande peccatum committit, quia rem sacram deturpat, & legem Divinam offendit. Unde Job ait de Adulterio: *Nefas est, & iniquitas maxima. Job. 31. 11.* Offendit legem Naturalem, docentem, Quod tibi non vis, alteri ne feceris: & quam fera ipse sentiunt, ac observant; ut Turtures, & Columbæ; imo ipsi Elephantæ, qui una cum socia tantum coeunt. Plinius lib. 8. cap. 5. & Solinus cap. 58. Imo ab Elephantæ occisas fuisse mulieres adulterantes, scribit Plinius lib. 11. de Histor. Animal. cap. 15. Offendit legem Canoniam; quæ olim adeo hoc facinus detestabatur, ut adulteros non admitteret in Ecclesiam, nisi post quindecim annorum spatium rigorosa Penitentia completorum; unde Sanctus Basilus testatur in Epist. 3. Canonice ad Amphilocho. Quod